PETRI BELLOPOELII GALLI TARNACII DE PACE INTER INVICTISSIMOS HENRICVM GALLIARVM, ET EDVARDVM ANGLIAE, REGES ORATIO.

Thomas Coppley. 2 f.

LONDINI IN AEDIbus Guillelmi Povvell,
CVM PRIVILEGIO.
1552.

MARTINVS BRIONAEVS PARISIENSIS LECTORI.

CEssет arator opus, veteres cessentque coloni:
Vomeribusq; gemens iam requiescat ager.
Ecce triumphus adest, toto celeberrimus Orbe:
Cantetur querula nil nisi pompa lyra.
Pax nitet effusis circum sua colla capillis,
Atque refulgenti delicioſa toga,
Ridet ager, virideſque comæ, violæque, roſæque,
Ridet & auriferis aurifer Hermus aquis.
Omnia cum rident, vasti quoq; murmura ponti,
Quæque Lycaonio terra ſub axe iacet,
Excipe ridenti, Lector dignissime, vultu
Hoc opus, & pacis clara trophœa nouæ.

YVO FORGIVS EIDEM LECTORI.

COllige diſperſos, Lector ſuauiſſime, flores,
Albaque purpureis lilia mixta roſis.
Fertilis hortus adeſt, ſyrio depictus amomo:
Diſtinctus violis, & bene cultus ager.

POTENTISSIMO, CLARISSIMOQVE PRINCIPI, IOANNI DVCI NORTHVMbriæ, Comiti VVarvvicensi, Vicecomiti Lisleæo, magno Regiæ Magistro, ac Illustrissimi Garterij Ordinis aurato Militi, Petrus Bellopoelius Gallus S. D. in D.

AIORVM NOSTRORVM diligenter obseruata ratio, et ad hanc vsq; tempestatem varijs ætatum curriculis honorifice conseruata, distincta sæpenumero temporibus, rerumque passim occurrentium varietatibus interpũcta Principum facinora reconcinnandi, monumentisque literarum immortalitati commendandi, non tantum elegantissima fuisse mihi videtur, verumetiam Christianis ipsis hominibus dignissima. Complectitur enim ea ratio quandam obseruationem earum omnium rerum, quæ sunt ad illustrandam Antiquitatis authoritatem amplissimæ, et ad erigendos honesta quadam æmulatione, commouendosque similium

euentuum expectatione, perfunctioneque posteritatis animos excellentissimæ: præsertim eiusmodi si sũt, vt præter delectationem quam affert ipsa diuersitas humanorum casuum, et tota fere reliqua moles historiæ, in Reipublcæ maxime gubernatione, veræque Religionis actione, cõtemplationeque versantur. Permulta sunt quæ de bellis quidem a multis commemorari, conscribique recte possunt: sunt enim illa suscipienda, vt sine iniuria pacifice viuamus: at conditio profecto pacis excellit hoc in genere maxime, vel ꝙ ea libentius audiamus, quę magis accedũt ad naturam, vel ꝙ omnino nullum grauius humanæ conseruandæ societatis exemplum vna constitutione publicæ tranquillitatis hominibus proponi posse non putemus. Extant adhuc inter Franciscum Galliarum, Henricumqꝫ Regem Anglię factæ superioribus annis inducię, monumentis historiarum celebratæ grauissime: succedentibus Eduardo, atque Henrico, successit quoque beneficium eius, in qua versor, pacis: non quidem ad tempus, cuiusmodi ea consueuit esse, de qua ego principiũ Orationis meę loqui facio, sed ijs plane constitutæ fundamentis, vt Orbi nunquam eripi posse videatur: et tamen nondum quenquam

ptodijsse

prodíſſe videmus, qui vllam de te tam íllustri gratulationem literis complecti voluerit. Quam vnam fuiſſe cauſſam affirmare poſſum, quamobrem oratione perpetua ſim íllam líbenter ad extremum perſecutus: tametſi veritus temporis ínuidiam, ídne facerem, quod omnes tanto ſtudío moliti fuiſſent, atque confeciſſent, an vero moratus aliorum cunctationem comprimi omnino, aut certe prorogari putarem oportere, díu profecto, multumque dubitaui. Vicit autem tandem, vt vides, amplitudo negocij, magnitudoq; dubitationem meam: perfecitque vt argumenti propoſita dignitate, coniectiſque in hanc vnam cogitationem oculis, quíd alij facere aut poſſent, aut vellent non admodum ſolícitus eſſem: præq; eorum ratione, quorum vita et gloria cum vtriuſque Reípublicæ maieſtate coniuncta eſt, popularem etiam de nobis exiſtimationem facile contemnerem. Itaque futurum eſt fortaſſe, vt ipſa tractatio tota, ad paucorum præſertim voluntatem accommodata, comparata tamen in eam quoque ſententiam, vt ab omnibus in vniuerſum et legatur, et intelligarur, principíbus viris, qualem te nobis Deus immortalis eſſe voluit, ſi paulum modo in manus ſumatur, non omnino díſpli

cere posſit. In qua non visum est plura dicere, quam quantum ipsorũ ratio Popularium, consideratioque patiebatur, quibus abunde multa subiecisse videmur, vnde se consolari possint: ad alia grauiora effundentem sese, laxantemque nostram orationem in mediocritatis officio, quantum quidem efficere potuimus, libenter retinuimus. Hæc sunt omnia, quæ cursu toto disputationis institutæ primum efficere, deinde tibi (Dux illustrissime) persuadere conati sumus: quæ tu tamen accuratius, legendo, cumulatiusq; perspicies. Prorupit enim opus hoc nostrum ad te potissimum, quem rebus omnibus ad tuendam istam dignitatem pertinentibus, singulari Dei beneficio florentissimum: inter omnes qui nunc in luce Curiæ summa cum laude, splendoreque versantur, amplissimum, illustrissimumque: et si quid illud ad rem pertinet, ingeniorum etiam præstantissimorum quasi mecœnatem quendam esse cognouimus. Plura non dicimus, ne maiora suscipere videamur, quam quibus ipsi pares esse possimus: illud tantum dicimus, Orationem de Pace iustius inscribi nemini q̃ Duci Northumbriæ, atque in eius vnius nomine virorum ornatissimorum hoc tempore iudicium experiri potuisse.

ísse. Relíqua quæ sunt propria maxíme prudentiæ tuæ, munificentiæque singularis, qua es inductione animi, quaque voluntate erga eos, quorum studío (si erit vnde viuant) fallere posteritatem tuam tu non potes, confido te dilígenter esse considerasturum. Vale.

AD DVCEM IPSVM NORTHVMBRIAE, DEQVE EODEM, PETRVS BELLOPOELIVS.

SI quid de dubio voluissem scribere Marte,
Ad te (Dux) proprie pertinuisset opus.
Si quid de certa tentaui scribere Pace,
Ecce, velim nolim, cogitur esse tuum.
Quod si quis rerum tam expers, vt dicere, quaret?
Audeat: ille quidem sic batuendus erit:
Nescis hunc bello tantum, videatur vt esse
Horrida Mauortis factus ad arma leo?
Nescis hunc ita se solitum componere pace,
Publica ei vt fuerit semper amica quies?
Hic est, Anglorum quo quisquam Nobilitatis
Tempore vix vnquam maior vtroque fuit.

PETRI BELLOPOELII DE PACE INTER INVICTISSIMOS HENRICVM GALLIARVM, ET EDVARDVM ANGLIAE, REGES ORATIO.

CVM MVLTA SVNT IN hominum vita iucunda, vtiliaque, ex quibus non recte modo & sapienter, verumetiam populariter, & ad cõmunem viuendi consuetudinem elegãter, in otio nempe cum dignitate versari possumus: contra multa pernicioſa, atpue sensim, caligantibus hominum oculis, nec satis periculorum in quibus sunt, magnitudinem explorantibus, ad humanæ societatis interitum tendentia: tum nihil Mortalium inter se beneuolentia melius, nihil amicitia clarius, nihil præstantius: publicis vero, vel priuatis offensionibus, dissensionibus, controuersijs nihil calamitosius, exitialius, ad omnium rerum, quibus ipsa vita potissimum continetur, perturbationem omnino, & vastitatem efficacius. Quod ipsum cum sit in natura positum, Philoso-

phorum monimentis concinnatum, exemplis tot illustrium virorum sic omnibus temporibus animaduersum ac notatum, vt frustra, nedum temere, laborare mihi videatur, quicunque huiusce rei rationem pluribus verbis exequi cupiat, mirari satis non possum quorundam summo loco natorum hominum, florentissimaque fortuna existentium fastidium, qui cum tantum acceperint a Maioribus, quantum vlli vnquam virtute consequi potuerunt, nemoque sit qui præ illis non se miserum, atque ærumnosum putet: tamen Rerumpublicarum quibus præsunt, statu conuulso, nouas quotannis rerum conuersiones inuehunt, ijs se principes constituunt: cumque negotium alicui effecerint, q̄ id videlicet supraquam vellemus in more positum nūc sit, tum se deniq; magnas honorum, ac dignitatum accessiones feciſſe arbitrantur. Hoc hominum genus an æmulum alienæ fœlicitatis, an vero propriæ sortis inimicum, ac stolidum appellare debeamus non intelligo: mihi quidem illi certe vinculum humanæ societatis ignorare, nec se satis ipsos nosse, sed plane eorum quæ rationis vsum nullum habent, animantium more, huc illuc absque iudicio, sine consilio perturbati ferri, raptarique viderentur, nisi

nisi hoīnes essent illi certe, populari etiam quadam existimatione laudabiles: ac non se potius abiectam aliorum consuetudinem imitari, q̄ æquitatem, & naturam sequi velle ostenderent. Quod si naturalis nostræ facultatis inimici, salutis obliti, pacem & cōmunem tranquillitatem exosi eo progredi non verentur, vnde nullum inimicitiarum finem, vnde nihil præter luctuosos euentus rerum, calamitosasque seditionum, ac molestiarū tempestates expectare possumus, miramur tot afflictos miseros mortales, tot florentes vrbes excisas, tot ac tantas sapienter institutarum Reruinpublicarū inclinationes omnibus temporibus esse consequutas? Miramur aut nulla certa nos in pace constitisse, aut si fuit vlla quidem explorata pax, eam certe haud ita post multo, repentino turbatam motu conticuisse: neque tam vnquam pacem meritam appellari, q̄ impostu-ram, collusionemque, cuius authores ab officio tanquam ex insidijs ad apertam vim, atque impietatem: reliqui ab otio ad martem, contentionemq; deducerentur? Ex his paucis, sed ni fallor, perspicuis, & ad veritatem e tenebris in lucem educendam necessarijs rationibus, atq; demonstrationibus euidentissimum id esse puto, quod a no-

bis ſuperius iniectum quaſi magis, q̃ expoſitum, diſputatum que eſt, humanę vitę conditionem duobus obiectis inter ſe diuerſiſſimis, atque in maxima rerum vatietate verſantibus eſſe propoſitam, amicitiæ ſcilicet, atq; controuerſiæ: quorum alterum cum a principe tenebrarũ inuectum nihil niſi mortem afferre poſſit, neceſſario conſequitur, in coniunctione beneuolentiæ vitæ neceſſitatem eſſe conſtitutam. Neque vero vitam illam ego ſtatuo, vt conſtat etiam a viris ſapientibus eſſe iudicatum, quæ multorum odijs, tanquam flatibus quibuſdam expoſita ventorum, perpetuis quaſi mentis agitationibus, ac laboribus obnoxia, circunſcriptaque ſit, nec quibus veſtigijs hęreat, quo certo loco conſiſtat, ſcire poſſit: non magis, q̃ nec eam ciuilem quoque quandam mortem, in qua redundent omnia iocis, ac lætitijs, & in qua omnino quicquam, præter acerbitatem, & dolorem eſſe videatur. eam quidem vere vitam eſſe duco, in qua nos reiectis omnibus animi perturbationibus, quibus aut ad inimicitias ſuſcipiendas adduci poſſumus, aut quę ipſę a mutua animorum inſectatione proficiſci queunt, nemini negotiũ exhibemus: cũ omnibus pacem, et amcitiam colimus: neq; plus opinionum quarundam

tundam errore perſuaſi ſapere velle ſtudemus, q̃ quantum Dei optimi maximi legibus ſancitum, Domini noſtri Ieſu Chriſti pręcepto cautum, nobiſque vniuerſis nemine omnium exceptione excluſo mandatum eſt. Ad eam rationem ſi varios noſtros mores inſtituamus, ſi iniuriarum obliuiſcamur, ſi concordię publicę cauſſa priuatas etiam offẽſiones obliteremus, polliceri facile poſſumus, nulla nos ornamenta præſtantiora ſecundis in rebus, in aduerſis præſidia firmiora eſſe habituros. Tametſi non video quid tum aduerſi nobis poſſit accidere, nos ipſos præſertim in hoc toto genere vincentibus, atque Dei, quantum eſt ſitum in nobis, voluntati ſubſcribentibus: niſi erunt aliqui fortaſſis humani caſus, vt eſt plærumque hæc vſura lucis exiguis quibuſdam, interpũcta varietatibus: quos ipſos caſus vt vagos, paſſimque ſolitos incumbere, tanquam ludibria fortunæ quędam deſpicatui ducemus: aut ſi erunt etiam grauiores, q̃ vt ijs interdum moueri non ſit neceſſe, ita feremus, vt nemo ſanus neque prudentiam deſyderare poſſit in nobis præcauendis diligenter rebus, neque moderate tolerandis virtutem, atque conſtantiam. Hinc natum id eſſe reor, quod tot clariſſimorum Philoſophorum inſtitutis antea

memoriæ proditum, deinde toties hominum elo-
quentiæ viribus instructissimorum sermone cele-
bratum est, amicitiam esse necessariam vt So-
lem: q̄ quēadmodum naturali Solis inclinatione
quæcunq̄ sunt in rerum natura corpora vegetan-
tur, augenturque, sic amicitiæ necessitudine per-
petuæ cuiusdam beneuolentię fores aperiantur, &
humanę conuersationis officia retineātur, ac prę-
stentur: vtque a Sole Luna, & ipsi reliqui stella-
rum globi lumen accipere dicuntur, ita concordi
hominum inter ipsos charitate quę sunt in eis ob-
scuræ, otiosæque virtutes lucēm etiam quandam
exercitatione consequi, neque in vllis tenebris er-
roris, cupiditatisque versari possint. Habet itaq̄
cursus ille beneuolentiæ constitutus a natura per-
multas, atque magnas vtilitates: sed haud scio
an vllam maiorem animorū remissione, & quiete,
cuius quidem ea facultas est, vt tum demiq̄ nobis
restituti videamur, cū ad eam fato aliquo ex per-
petuis anfractibus occupationū reuocati sumus.
Est enim incredibilis prope vis otij, atq̄ quietis
in vtranq̄ partem: vt siue corporis vniuersi con-
stitutionē spectes, quæ tamen ipsa posteriore lo-
co ducenda est: siue animi rationem habeas, in
qua profecto nostra omnis debet esse sita conten

tio,

tio, nihil magis ſecundum naturam animaduerti poſſit, q̃ pacata illa, & æquabilis in omni vita moderatio: quemadmodum neq; res eſt vlla, quam perinde homines naturaliter auerſari videamus, atq; genus illud inuidiæ, vnde maior aliquis effici motus, ipſique ad expoſtulandum iracundius, & interdum etiam ad dimicandum, pugnandumq; deduci poſſunt. Neque vero defuerunt, qui diuinum illud naturæ conſilium ſequuti, iuſtamque occaſionem nacti bellorum, tamen aut iniurias non inſectarentur, aut ab armis etiam iniqua pace diſcederent: q; videlicet huiuſcemodi commiſſionibus offendi Dominum exiſtimarent, pluſq; eſſe in hac vita incommodorum arbitrarentur, q̃ vt inuehi quotidie noua, opinionum peruerſitate, atque alia alijs necti putarent, cumularique oportere. Nos qui monimenta rerum ab alijs geſtarum, exemplaque vetuſtatis habemus, qui grauiſſimorum virorum actiones imitando conſectari volumus, qui ſic Maiorum noſtrorũ inſtituta ſeruamus, vt illum omnes ſumma dignum laude iudicemus, qui maxime venerandæ illius Antiquitatis ſimilitudinẽ aliquã, & colorem moribus expreſſerit, vel etiam exprimere tentarit, cũ moribus, ſi erunt fortaſſe deteriores, conuitium non faciemus?

faciemus? impedimenta naturæ non vincemus? committemus vti potius sequaces ambitionum, cupiditatumq; nostrarum, q̃ vt rationi, virtutiq; obtemperantes esse videamur? Qui si nobis rationis vsus obscurior, virtutis contemplatio difficilior videtur, q̃ vt statim vim eorum animo perspicere possimus, quin aut ad Christi dogmata que nobis omnibus rebus antiquiora debent esse, nulla mora interposita cõfugimus: aut si perspecta quidem nobis sunt, sed impotentia naturæ, retusisque peruersorum hominum ingenijs nos ipsos passim auferẽtibus, ac nonnunquam etiam transuersos agentibus effici non possunt, non potius quorundam æqualium nostrorum, quorum est magna pro eorum plurimis, clarissimisq; virtutibus multitudo, vitam imitamur, q̃ vt ita diductis animis, nouique semper aliquid molientibus, Christianorum virorum officio non fungamur? Nam si nostram hanc vastam adeo, & ieiunam ętatem esse ducimus, ut non multos quoq; proferre posse existimemus, qui veteribus sint illis, quos constat amore concordiæ magnam laudem esse consequutos, ingenio, prudentia, fortitudine comparandi: quiq; simultatum odio, studio pacis, & tranquillitatis libenter etiam de iure

suo

ſuo decedere ſe patiantur, vehementer erramus: non quidem q̃ illos ita de iure ſuo concedere exiſtimemus, vnde aut alios ad nouam offerendam inuitari, aut ſuis detrimenti quicquam importari putemus, ſed q̃ omnes vias libenter perſequantur, quibus teſtatum relinquant ſe ſemper q̃ maxime remotos a contentione fuiſſe: pacem ſemper, & amicitiam quæſijſſe: ad hunc potiſſimum finem omnes molitionum ſuarum rationes, omnia vitę conſilia ſpectaſſe. Fortaſſe viderũt, alienis exemplis ex antiquiſſima vetuſtate repetitis facti prudentiores, priuatorum hominum ſectas, atque diſcordias miſerabiles exitus authoribus attuliſſe: magiſtratuum rixas, & inimicitias ſine aliqua Reipublicæ conuerſione eſſe non potuiſſe: ne nos ſcilicet ipſi torqueamus earum perueſtigatione, enumerationeq; cauſſarum, quæ illos in hanc opinionem adducere potuerũt, cum quo id cunque conſilio fecerint non multum interſit: nec minus illis quidem in laude ponendi mihi videantur q̃ fecerũt, quodque nobis exemplum honeſtiſſimum, poſteritati teſtimonium grauiſſimum virtutis ſuæ tribuere voluerunt, q̃ eſſe viderentur in vituperationem adducendi ſi non feciſſent, ac populatem aliorum interpella-

tionem æmulantes obſcuri, q̃ præclaris facinoribus illuſtriſſimæ famæ commendatione celebres eſſe maluiſſent. Quare ſi qui priuatis in rebus, publiciſue functionibus aut eas in quibus hactenus Oratio noſtra verſatur, inimicitias temere non appetiuerunt, aut ſuſceptas obſtinate perſecuti non ſunt, eo maiorem capere gloriam merentur, quo pauciores inueniri ſolent, inter quos non exiſtant ſæpenumero cõtrouerſiæ, ecquid tandem de illis ſtatuendum eſſe dicemus, qui non ſolum principis alicuius perſonam in vna ſepoſita Republica tuentur, ſed quorum etiam tanta eſt in hoc vaſto terrarum Orbe dominatio, nullis vt limitibus eſſe circunſcripta videatur: quid de illis inquam, ſtatui dicemus oportere, quorum beneficio compoſitis bellorum tumultibus, atque ita deductis ad otium omnibus rebus, vix vt vllæ reliquiæ priſtini motus appareãt, non illi modo qui ipſi tanti boni authotes extiterunt, placidiſſima pace, vt nunc eſt, vtuntur: verumetiam vniuerſi nos qui tanta clementia Principum duorum, hoc eſt, tanta Dei miſericordia digni forte non eramus, in eam nunc primum vitæ ſocietatem conuocati ſumus, quam nulla rerum perturbatione, nulla temporum iniquitate labefactatum iri confidimus?

Franciſcus

Fraciſcus Galliarum, & Henricus Angliæ Rex, de quibus Heroibus duobus cum loquor, omnes omnium virtutes oratione complecti mihi videor, armis inuicti illi quidem, alumni tamen pacis, hanc nunquam humana facultate perpetuam, ſemper fere bellorum offenſionibus interruptam habuerunt: in quo diligenter eſt animaduertendum, quantum poſſit in humanis rebus temporum inuidia, malorum omnium quæ extrinſecus afferri queunt, longe grauiſſimum, tetertimumque: cum conſtet ambos admirabili morum candore, ſuauitateque præditos a natura, nunquam æmulum alterum alterius, ſed vtrunque ſemper de ſuis, & aduerſarij rationibus æqua conditione, atque iure diſceptatorem extitiſſe. Vereque mihi videor eſſe dicturus, fortunæ varietate ſublata neminem omnino, Regem illum, aut Principem humanitate ac modeſtia ſuperiorem, authoritate grauiorem, ingenio præſtantiorem: quodq; præclare cũ eis decidat, liberalium etiam artium, ac diſciplinarum cognitione florentiorem atque prudentiorem: & quod in primis poni debeat, ſalutis publicæ cupidiorem, ſtudioſioremq; Henrico haud ita pridem, & Franciſco, ante videlicet q̃ illos ad ſe Deus ex hac vita quiete, placi-

deque reuocauiſſet, in rerum natura viſum vnquam fuiſſe: vt ſit omibus ſine cõtrouerſia exiſtimandum, a Deo illos optimo maximo ad conſtringendas Subditorum intemperantias, quaſi miniſtros diuinæ voluntatis, regendis hominibus fuiſſe conſtitutos. Itaque præſtiterunt illi quidem bellicis abunde, domeſticiſque virtutibus ex veriſſimis ſplendoris inſignibus, imaginibuſque collectis: æquabili item, atque perpetua fortaſſe omnibus in rebus, atq; euentibus fortuna vſi non ſunt, nimirum homines, quibus vſu venire paſſim videmus, vt quo quiſque ſublimiorem virtutis, ac dignitatis gradum aſſecutus ſit, eo magis a fortuna derelictus eſſe videatur. Quanq̃ ſi rationem ad veritatem reuocare volumus, deque rebus naturaliter, reiectis hominũ opinionibus, philoſophico more diſputare, ne queri quidem illi vnquam, aut expoſtulare cum fortuna potuerunt, qui ipſi ſubſidijs ab ea proficiſcentibus imperarent: eamq; etiam quantũuis obuerſa facie, tamen manibus vinctam, atque alioqui Diuam, hominum votis ſubſeruientem ſequi cogerent: ornamentis autem, et quaſi luminibus quibus abunde per ſe Natalium ſtemmatis, atque adeo Maiorum illuſtrabantur, eas omnino virtutum

tum accessiones adhibuerũt, prorsus vt quædam Numina demersa diuinitus in terram quorum au spicijs hæc Mundi moles administraretur, Populi certe inter alios humanissimi, florentissimiq; regerentur ac triumpharent, non hoines tantum illos fuisse credere debeamus. Aperit hic iam sese mihi campus, non aggeribus circumuallatus, cuiusmodi solent esse, qui certis in orbem terminis distincti, definitique sunt, sed maximus vt videtis, atque latissimus de vtriusque rationibus, institutisque disputandi: in quo quidem quominus exultet Oratio mea efficit primum aura populatis, quæ pridem amborum imbuta rumoribus afflat adhuc, & percellit non mediocriter animos commemoratione veterum desyderiorum: deinde q̃ non defuere viri diserti, qui genus hoc totum eo stilo persequuti sunt, ita nobis vtriusque dotes, mores, actiones perpetuis historiarum monumẽtis, literisque diliniarunt, vt inde, quantum ego ex iudicijs omnium possum pronunciare, immortalem sint ipsi certe memoriam posteritatis aucupati: superficiem autem tantum quandam institutarum rerum adumbrarint, plusq; reliquerint hoinibus ad cogitandum, q̃ verbis exprimere potuerint. Hæc scilicet magnitudo fuit, amplitu-

doque duorum istorum cum nondum e vita migrantes recta conuolassent in cælum, Regum, ac Prīcipum: quorum desyderium quanquam est graue, et acerbum bonis omnibus, propterea q̄ quorum est vita popularis, eorum interitus non possit esse non luctuosus: tamen cōsolatione prę-sentium rerū nos sustentamus, doloremq̄ quem ex orbitatis nostræ deploratione percipiebamus, cuiq̄ vix alioqui resistere poteramus, vniuersum paulatim exhaurimus: itaq̄ quorū antea caussa nos in luctu, & mœrore versabamur, horum nūc tandem beneficio reficimur, excitamur, ad remissionem animorum intermissam descēdimus: consecutis nempe duobus hisce quoque Principibus, qui cum plane maiestate, dignitate, virtute Parē-tum sequuntur similitudinem: tum si quid temporum propagatione, & sobole ad iudicij maturitatem addi potest, ipsique quem inierunt, tenere cursum volent, omnibus facile pollicentur, ac persuadent se quoque ad summa omnia breuiter esse venturos. Nam quid de Rege Galliarum Henrico dicemus, in quo sic patris imaginem viuis expressam coloribus intuemur, vt & illius pristina iura, dogmataque retineat: & id præterea consequatur, nihil vt sit hodie, quod alijs inuidere possit

locis

locis Gallia, siue temporis vtriusque libeat facultatem æstimare, siue neruos alios omnes, quibus Reipublicæ ratio quædam, & ipsius in primis status politici moderatio continetur? Præsidia quæ habeat aduersus incumbentes bellorum casus, ornamentis quibus redundet in pacis, otijque tranquillitate, vulgatum magis esse puto, q̃ vt ambitu longiore verborum circunduci oporteat: in reliquis rebus si quid est aut dissolutius factum illic antecedentium temporibus, quemadmodum esse factum interdum non negamus: aut inductum in Rem illam publicam insolentius, id ita aut censum iam, & correctum est: aut plane, contrarijs adhibitis constitutionibus, rescisum, & sublatum, vt omnes facillime perspiciamus non magis addictum illum esse, q̃ olim patrem, priuatis affectibus, sed eam omnino vitæ rationem, institutionemque conseruare, vt quemadmodum hic pulcherrimum sibi facinus admisisse videbatur, si quamplurimis benefeciſſet: sic ille tum se denique vere Principem statuat, si neglecta priuatarum rerum necessitudine quamplurimum in Rempublicam studij, officijq; contulisse, deque ea quamoptime meritus esse videatur. Hoc ipsum officium est eius viri, qui se Christianum esse meminerit:

nerit: hæc consecutio, deriuatioque virtutum paternarum, videre etiam atque etiam, ne quid Res ipsa publica detrimenti capiat: neque committere, vt quam ille florentissimam acceperit, ægram postea, castratamq; conspiciat: quemadmodum non paucis in more videmus esse positum, licere sibi plus nunquam existimantibus, q̃ vbi nacti sunt aliquem Principatum, habentque multos, in quos ambitiosis corporis, animiq; cupiditatibus abuti possint. Atqui hoc cõtrahitur in plærisque vitio non naturæ, sed temporum: cum qui moribus sunt optimis, alienis se consilijs auferri patiuntur, nec quantam ipsi molem sustineant, satis intelligunt: in quo erat penitus vita cognoscenda eorum, quibus se committunt, quibusq; cum versantur, propter incertos euentus rerum ex opinationum varietate naturaliter emergentium: considerandumque diligenter, quicquid tandem accidere possit, in capite Principis totius Reipublicæ fortunam, conditionemq; disceptare. Id qui nouerit, eo modo sibi qui cauerit, non se tantum Subditorum meo iudicio Principem, sed plane verum Populi patrem præstiterit: non Regem egerit, sed Deum nobis quendam in terra repræsentarit. Cum itaque modi multi, rationesq;

reperiuntur,

repetiuntur, quibus recte Reipublicæ consulitur, vt sunt effectus diuersi multiplicesq; virtutum: tum nulla præclarior, quæque magis præsentis animi magnitudinem arguat, authoritatem patefaciat, incitet homines ad admirandum, q̃ cum Princeps ita vitam instituit, Maiestatem vt suam salutis publicæ contemplatione maxime cõtineri velit: ea contemplatione sublata officium se omne peruertere, neque magnopere esse, in quo differre a quouis existimetur, qui neque iudicij satis, neque communis prudentiæ, neque sane dignitatis attulerit. Est igitur Principi videndum, lentior vt ne sit in tuenda, conseruandaque, q̃ in cõstituenda publica salute, ne (quemadmodum dixi) Regiæ Maiestatis virtutes ignorare, plusq; tribuere certorum hominum affectibus, q̃ honestati, rationique iudicetur: quod etsi varijs nominibus assequi potest, siquidem est talis, qualem nos Henricum paulo ante descripsimus, et descripturi posthac, si locus patietur, etiam videmur: tamen illustriore via, Christianoque viro digniore nulla potest, q̃ colligenda passim aliorum Principum gratia, & beneuolentia, qui vt (quemadmodum erat æquũ) mutuis deuincti fœderibus non sibi tantum ipsis inuicem qui regnãt,

sed Populis etiam quibus imperant, vsui maximo ornamentoque sunt: ita dissolutis, et exulceratis animis non mediocrium in republica perturbationum, atq; tempestatum authores esse possunt. Essetque id fortasse tolerandum, si ad ipsos solos ea tota clades, periculumq; pertineret, non etiam ad alios erumperet, redundaretq;, quorum salus nihilo eis minori curæ debebat esse, q̄ sua ipsorum dignitas, atq; vita: vel ob eam caussam, q̄ nihil vnquam miseri committant, quominus intestinus ille, & redíuiuus toties bellorum furor aliquando considere, perpetuoque multari silentio debeat: immo propriis quotannis viscerib⁹ redimi pacem non modo non grauate ferant, sed in id incumbant etiam, vt omnibus in ea cura, cogitationeq; toti versari videantur. O cæcos Principū animos, hoc si non vident! o contractos, si sentiunt, & patiūtur! o ferreos, si non mouentur! Hoccine est humanum factum, in vnius voluntate cuius ostendimus esse partes, vel iniquissimas pacis cōditiones bellorum tumultibus anteferre, summam toties periclitari Reipublicæ! Hoc opus pium, priuatis amplissimorum virorum, seseq; nobis Christianæ Religionis emblemate venditantium offensionibus, ac simultatibus

tibus Popularium tranquillitatē ſolicitari? Sed quas ſe tandem vtilitates, quam inde ſe famam conſecuturos immortalitatis arbitrantur, non potius ad immenſum innumerabilium malorum cōcurſū miſerabilem plebem adducturos, & quod in primis quęrere contentione maxima videntur, ad inanem quandam, vel etiam nullam nominis exiſtimationem, ac celebritatem quamprimum eſſe properaturos? Nam ſi ſic ſtatuunt, armorum vt viribus in hac vita Principum ſe nomine digniores, poſt huius vero vitæ lucem ad opinionem poſteritatis elegantiores fore ſuſpicētur, non magis in vitio eſſe ſunt exiſtimādi, q̄ qui caput fœlicitatis ſuę in ieiuno quodam glorię ſplendore conſtituunt, ſuiſque ſe finibus non eſſe contentos oſtendunt: quorum alterum ambitionis eſt intolerabilis, alterū in ſumma cupiditatis ſiti verſatur: cum vniuerſos quos eo modo de iure publico diſceptaſſe, atq; ſic ad arma proſiluiſſe meminit Antiquitas, non tam vllam virtutum ægregiam cōmendationem, q̄ odioſiſſimum poſt hominum memoriam, inuidioſiſſimumque nomen ſortitos videamus: habeamuſq; Dominum interdicentem magna varietate præceptorum, huiuſcemodi bellorum faces, in quibus neq; præ-

sidij satis extiterit si volet ipse: quodq; si mometaneis in rebus adhibeatur, hominum impietatem abunde manifestarit. Sed vereor, ne dum hæc, populi perniciem calamitatemq; miseratus, magis attingere, q̃ Principum quorundam amplitudinem, & excellentiam admiratus, silentio trãsire conor, non tam videar gratulari paci, quæ nuper singulari Dei fauore immortalis agitari cœpta est, q̃ ad illam etiam quodammodo cohortari, quasi nondum ex superioris ore belli, atq; faucibus erepti simus: quapropter hoc toto de genere bellicorum incommodorum supersedere consilum est, vel ne parum multi esse videamur in re quæ ante omnium oculos posita sit, vel ne tantam proximorum annorum impressionem fuisse credamus, quin horribilem illa quidem locorum multorũ vastitatem effecerit, reliqueritq; post sese faciem quandam rerum ipsarum miserimã, ac luctuosam: sed quæ tamen eum finem ex omni certe memoria ætatum pulcherrimum, iucundissimumq; secum attulerit, vt homines esse non possimus, nisi perpetuam animo gratulationem suscipiamus, ac præteritorum casuum difficultates reliqui temporis expectatione cõsolemur. Si enim huiusmodi fuit natura bellorum,

vt

vt quicquid ex ijs detrimentorum vnquam inferri poteſt, id totum ſeptem circiter annorum interuallo in cauſſam Gallorum, Anglorumque confluxerit, æquum eſt profecto, vti iam Marte profligato, pacis ſerenitate reſtituta, nos quoque nobis ipſi reſtituamus, exiſtimemuſque nos nunq̃ meliore conditionę fuiſſe q̃ futuri ſumus, ſi poſthac in conſilium vitæ, cogitationumque noſtrarum rationem & moderationem adhibeamus, ac nunquam humanis viribus tanti mali molem a noſtris ceruicibus depelli potuiſſe nobis perſuadeamus. Quod poſterius facillime conſequemur, ſi ſuperiora illa, motus ſcilicet ipſius initium recordabimur: ſi progreſſum ſpectabimus: ſi quem poſtremo res euentum habuerit, quibuſq; ſit expuncta expeditaque nuntijs, ac interpretibus intelligemus: quorum trium temporum eum curſum extitiſſe cõſtat, vt nunquã in rebus æſtimandis hebetiore iudicio fuiſſe videamur, q̃ tum fuimus, qui iampridem inueteratũ inter vtranque Nationem odium, magiſque in dies exacerbari cœptum, non modo non maxime fore diuturnum ſed plane (quod inſignem hominum temeritatem arguit) nullo vnquam ætatis flexu conſtiturum opinaremur: perideque de Dei erga nos optimi

 voluntate

volũtate iudicaremus, quasi aut non esset ipse, miseros Mortales ex alto contuẽs: aut iniquior redditus, omnem posthac de nobis curam, atq; memoriam abiecisset. Atqui nobis nihil tale cogitantibus, sed partim exitium alteri parantibus, partim arma meditantibus repentino motu Pax, tanquam quidam Sol disiectis procul nubibus illuxit, intonuit, innotuit: quod eo sane pertinet, vt discamus statu rerum nostrarum perturbato, communique iudicio paulatim ad casus tristissimos, euentusq; pperante, non subito propterea contrahere, aut inflectere animum, sed esse sine dubitatione Numen quoddam, tum maxime subsidio proficisci solitum, cum grauissime fortunæ fluctibus, tempestatibusque iactamur. Neque enim alio modo aut eius nosse potentiam, aut in quibus nos ærumnis, calamitatibusque versemur perspicere possumus: quo fit vt, perditorum hominum more, fato omnia contingere putemus, Deiq; prouidentiam in humanæ nescio cuius mentis agitatione, ac labore constituamus. Ex his perspicuum est, non molitionem hominum quos in maximo errore versatos esse, cũ nullum finem istarum inimicitiarum futurum arbitrarentur, exitus ostendit, sed Dei optimi maximi bonitatem,

et mise-

et misericordiam in caussa fuisse, quare Principes duo qui nunquam in gratiam opinione populari redituri videbãtur, hoc quidem tempore ad summam amicitiæ, coniunctionisq; necessitudinem descendere voluerint: tametsi mores vtriusq; consectari si libeat, nihil esse reperiemus, quãobrem in tanta rerum bene gerendarũ occasione illi diutius alienioribus a se inuicem animis esse debuerint, præsertim Christiani, neque longis admodum locorum spacijs inter se disiuncti: vt mihi veniat nonnunquam in mentem, non voluntatem quam habebant optimam, sed fortunam quam ōnino non pessimam experiri non potuerunt, ipsorum conatibus obsequi non potuisse. Habet enim Henricus, quantum ipsi tum perspicere, tum ex aliorum oratione cognoscere potuimus, humanitatem admirabilem, singulatemq; modestiam: sed ea grauitate conditam, eum vt omnium non modo temporum, sed etiam hominum, si res ferat, atque negotiorum Principem vere possimus esse dicere. Eduardus vero quanq̃ est ea ingenij, iudicijq; magnitudie, vt recte cum natu maioribus comparari queat, sitq; miraculi futurum loco, si quis ipsius dicta subtiliter, prouisa prudenter, acta cõstanter ita nouerit, vt vbiq;

quotidie

quotidie maximorum virorum ſermone celebran tur: tamen quia eam agit adhuc ætatem, quæ eſt ſimplicitatis amiciſſima, eamque ipſam, quãtum licuit a grauiſſimis Reipublicæ requieſcere mune-ribus, in omni fere genere diſciplinarũ diligenter exercuit, ab omni ſe rerum quæ torqueri poſſent ad calumniam, ſuſpicione remotiſſimũ facile præ-ſtiterit. Quocirca res dubitationem habere non poteſt, ad Deum omnia referri quidem primum oportere (ne tam ſimus rerum expertes, vt quæ propria ſunt illius, ad communem hominum im-becillitatem transferamus) ſed illum tamen hoc in genere, atq; hac in re duobus potiſſimum hiſce Principibus vti voluiſſe, vt exploratum habere-mus quorũ ſtudio nos, probitate, virtute tantum beneficum conſequuti eſſemus: & quantum im-poſterum de talium, tantorumque Principum re-liqua vita non ſolum nobis vniuerſis quibus eſt iam abunde ſatiſfactum, verumetiam ipſi poſte-ritati polliceri deberemus. Non enim ſatis eſſe Prĩcipi ducimus ita viuere, vt curet præſentia qui-dem, futuri temporis cogitationem abiiciat: Po-puli certe curam habeat, poſteritatis amore non teneatur, cum haud ſciam an vlla re magis eius authoritas inſignis eluceat, inuictaq; animi mag-

nitudo

ſtudo certatur: at eiuſcemodi bellũ eiuſcemodi pace mutatum nunc eſt, vt nemini dubium eſſe poſſit, quin ipſam totius reliqui temporis ſempiterna memoria conſequatur: in quo profecto immortale illi ad Parentũ ſplendorem corollarium addiderunt, quamque ſemper regnis inaugurati de ſuis virtutibus expectationẽ cõcitarant, magnifice ſuſtinuerunt. Quinetiam vt melius Reipublicę caueri poſſet, nihil eſſe propemodum exiſtimantes tantæ molis fundamenta collocaſſe, nomina in contractum deducta fideliter expunxiſſe, omnia deniq; quæ plurima negotij confirmandi cauſſa verbis cõceptis inter ſe pepigerant, more regio, inſtitutoque Maiorum cumulate pręſtitiſſe, honeſtiſſimã ad id præterea, ſimulac humaniſſimam acceſſionem attulerunt: Legatos vltro citroq; lectiſſimos homines, nobiliſſimoſq; miſerunt: his interpretibus, vt ipſorum fides, authoritaſque poſtulabat, humaniſſime quantum effici potuit, vtrinq; exceptis, magnis inter ſe de rebus, grauiſſimiſq; collocuti ſunt. Legationes obierũt, Gallicam quidem Mareſchallus a Sancto Andræa, vir vt ſcimus, inter Proceres Gallicę Nobilitatis virtute cognita, ſpectataq; fide ampliſſimus, atque eo nomine Regi Galliarum Henrico

chariſſimus : Anglicam Marchio Northamptonienſis, genere item ipſo clariſſimus, quodq; in homine ſingulare dicunt eſſe, præſtantiſſimis ingenijs mirifice deditus : quibus muneribus ita tandem perfuncti dicuntur, vt quanquam erant illuſtriſſimi quidem rebus omnibus quæ ſunt ad viuendum optimæ, ad memoriam nominis conſecrandam grauiſſimæ, perfecerint tamen vt neminem, quantunuis excitata fortuna, digniorem, elegantiorem, accōmodatiorem ad tantam functionem deligi potuiſſe iudicare debeamus. Atq; vtinā quod pari contentione fœliciter inſtituerūt, cuiuſq; nos deſyderio torquemur, aliquando tandem effici poſſit, ne aut ab illis ea fruſtra expectatio concitata, aut a nobis ſuſcepta temere gratulatio videatur : non q; dubitemus de conſtantia, firmitateque animi Principum noſtrorum, quorum fidem labefactari poſſe nemo ſanus vnq; putarit : aut plus hac in re habere momenti fortunam, q; vtriuſque iudicium exiſtimemus : ſed q; id vrgeri quamprimum Reipublicę plurimum interſit : tantoque ſit maior popularis futura delectatio, quanto nūc maior eſt quoq; q; antea, cum nondum diuina benignitas ambobus Populis amicitiæ fores aperuiſſet. Quod ſi continget

eam

eam rerũ rationem esse, vt in aliquot prorogatę sequentes annos, habituræ tamen aliquando locum, hominum opinionem celeritate superent, non erit omnino cur dicamus accessisse quicquam desyderio nostro, quando quod sane vehementer optamus, votisq; publicis iandudum expetimus assecuti fuerimus, neque enim hac in parte communis nostra plus potest efficere contentio: sin, quod verisimilius est, illorum nondum prouecta ætas condictam prorogationẽ facile sustinebit, haudquaquam propterea animis defuturi sumus: quin vt viros fortes, & moderatos decet, hoc desyderium quidem illius temporis expectatione totum libenter ferre constituimus. Neque interim otiosi futuri, aut anxij, solicitiq; sumus, quasi non sit quod sine periculo tentare, & in quo superiores curas, molestiasque omnes deponere possimus: Pace enim augusta fruemur: in re scilicet frustra toties implorata, & nũc ad arbitrium nostrum, voluntatemq; deducta toti conquiescemus: contractam mutuo beneuolentiam, & gratiam non effundemus: hanc vnam, quantum erit positum in nobis, quantumque humanæ illius, de qua iam sæpe loquor, societatis officia patientur, retinere, conseruare, tueri studebimus,

nitemur, contendemus. Iam, opinor, nihil habebunt q̃ querantur nostri Mercatores, prohiberi se bellorum discriminibus ad aliena loca proficisci, qui pridem regionum suarum inclusi limitibus, pedem ad negotiandum efferre domo non potuerūt. Iam non ingraueſcet annonę difficultas, quæ naturaliter armorum strepitus solita comitari, plebem infimam miseris modis exercuit: hic præsertim, vt experimur, eorum omniū incōmodo maximo, ne dicam calamitate, quibus res domi cōtractior est, q̃ vt ipsi sua tenuitate talium temporum anguſtias sustentare possint: adeo vt Scripturarum testimonia si sequamur, augurari satis coniectura liceat, immortalem Deum hoc potissimum genus animaduersionis ad emēdandos hominum corruptos omnino, deprauatosq̃ mores excitare voluisse. Iam, opinor, otiosorum faceſſet hominū industria in corroganda quotannis locis omnibus pecunia crudeliter occupatorum: quæ pecunia omnis imperari toties, & externis militibus consueta numerari, in vsus pios, longeque neceſſarios magis, si Christiani sumus, variosq̃ Reipublicę releuandos casus elegantius conferetur. Ad extremū, vt rem pulcherrimam, audituq̃ iucundissimam, & suauissimam intelligatis,

gatis, reuerſura iam eſt ad nos ea quoque, quæ pridem (vt ait Poeta) terras ipſas reliquiſſe, ſeqꝫ ſuperius in cælum abdidiſſe, atque occultaſſe fertur, Aſtræa: hoc eſt, eo nos victuri modo, vt nullis amplius ærumnis, ægritudinibuſque ex communi hominum inter ſe maleuolentia redundantibus futura ſit obnoxia vita noſtra, ſed ita deniqꝫ conſtituta futura ſint omnia, vt non ſit impoſterũ, quamobrem aureo illi ſeculo, quod ipſum ad noſtram vſque memoriam propagatum eſſe videmus, adductis in contemptionem huius æui moribus, ac virtutibus quicquam inuideamus. Hic erit ſtatus, hic demum curſus omniũ rerum, commerciorumqꝫ ad communem Anglicæ, Gallicæqꝫ multitudinis vtilitatem pertinentium, Nobilitatem illuſtrantium, Eduardi, Henriciqꝫ nomen & gloriam immortalitati commendantium: ne quid de Germanis, Italis, Hiſpaniſque commemorem, Populis totius Europæ nobiliſſimis, atque in æſtimandis rebus acerrimo iudicio præditis, qui non tantum (vt audimus) extremum illud inter nos odium in tantam ſubito compoſitionem euaſiſſe, coaluiſſeque, ſublatis in cælum oculis demirari cœperũt, verumetiam, quantum humana ratiocinatione perſpicere poſſumus, ipſi

quoque ad eandem venturi ſocietatem exiſtimã-
tur. Nam & ante hunc diem armorũ ſtudia vi-
guerunt, & Ciuile olim apud Romanos bellum,
& Patrũ noſtrorum temporibus Italicum, & nũc
ſingulari Dei beneficio Gallicum, Anglicumque,
quorũ eiuſcemodi ratio fuit, vt aliquot annis ĩter-
mortua quidem, repentino vero poſtea motu cõ-
citata nullum exitum repertura dicerẽtur, tamen
vel ipſa temporum vetuſtate conſenuerũt, vel in-
terpoſitis, conſecutiſq; deinde fœderibus extinc-
ta, profligataque ſunt: ne tam aut iniqui ſimus,
vt grauiore aliqua noſtrum hoc ſeculum inuidia
premamus, aut tam impij, vt inexhauſtam Do-
mini, ſiloq; perpetuo ſeſe conſequentem, trahen-
temque potentiam, & virtutem imminutam eſſe
dicere velimus. Verum de his, & alijs quibuſ-
dam rebus ab huius inſtituti ratione non abhor-
rentibus, neque ſilentio prætermitti merentibus
confido me diſputaturum alio loco, eamque me-
dicinam allaturum, quæ ſit iudicio quidem meo
Chriſtianis Principibus hortandis amplectẽn-
da, ſanandis hominum quorundam mentibus
non contemnenda: interim ſi erit otium, &
ſi voletis, Pacem hanc noſtram exequamur, oſtẽ-
damuſq; quantum nos illis debeamus, quibuſq;

nomini-

nominibus obstrictam ipsis totam posteritatem putemus fore, a quibus tanta commoda rerum omniũ, tot laudis ornamenta profecta sunt, quot & quanta cuiquã vnquam venire potuit in mentem optare, quantaque a tam eximijs Populi conseruatoribus extremo pene Reipublicæ tempore proficiſci potuerunt. De Mercatorum negotiationibus, de ijs quę pertinent ad vsum vitę popularis, de ærario, de commercijs hominum inter sese, quę nunc quidem expedita sunt, pluribus verbis non loquemur: sunt enim huius generis, vt ab omnibus intelligi melius, q̃ oratione percurri possint: ad studia literarum stylum conuertemus, de ijs in vniuersum loquemur: quarũ conscientia eo Gallis, atque etiam Anglis acceptior semper, iucundiorq; fuit, quo iustius est rei literariæ gloria, q̃ militaris existimatione florere. Neq; vero eos concepta animis ex opinione Disciplinarum commoda fefellerunt, Perfecerunt enim ingenio, diligentia, exercitatione, vt non habeat Italia, fœlicissimorum ipsa ingeniorum parens & procreatrix, q; se nobis de principatu literarum tam ambitiose venditet: non Germania, quę sic omnino Genium illum Italicum imitatur, vt transcendere ætiã sensũ conetur: nõ Hispania,

quæ

quæ celeritate maxima vtranq; illam Nationem consectatur : non Lusitania , quæ cæterarum æmulatione cœpit esse doctorum hominum multitudine frequentior : non Scotia, quæ præstantibus ingenijs nunquam destituta, loqui iam elegantius, iudicare de rebus eruditius, in hominum sermone versari celebrius cœpisse quoq; videri potest . Debetur hoc in primis Francisco, Henricoq;, dum viuerent, Principibus post homines natos clementissimis , atque omnium artium ingenuarum parentibus : quas ita artes toto vitæ cursu coluerunt , vt Regna eorum domicilia potuerint Musarum appellari. Doctissimis viris tantum in omni genere detulerunt, vt ornarint etiam,pręsertim eos,quos vsui Reipublicæ maxime futuros sperarent : itaque Lectiones publicas instituerunt accersitis vndique Professoribus, eruditissimis, & eloquentissimis hominibus, qui illas & illustrarent, & quam opinioni multitudinis de sua doctrina famam cõtecissẽt, hanc tuerentur, atque conseruarent. Franciscũ quidem Valesium accepimus virorum literatorũ consuetudine tantopere delectatum, vt cum illis sæpenumero loqueretur: vt illos inter se grauiore aliqua de caussa disceptãtes libenter audiret: eoq;

maxime

maxime genere sermonum, atq; disputationum suas mensas condiri vellet. De Henrico audiuimus, solitum illum quoque delectari non tantũ eruditis hominibus, verumetiam Artificibus, eorumque sermocinationes sibi vehementer probari significauisse: perfecisse autem vtrunque tandem cum audiendo, meditando, cõmentando: tum etiam legendo, rem vnam varias in partes disputatione torquendo, si quid exploratius haberent, in medium afferendo, ut nec quicquam eorum, quæ cõmuniter a doctis inferrentur, ignorarent, & animos omnium exempli tam inusitati magnitudine non mediocriter quoque commouere dicerentur. Floruerunt illorum temporibus in Gallia Guilielmus Budæus, æqualium suorum omniũ sine controuersia Græcis literis, Latinisq; doctissimus: Christophorus Longolius, vir vt eius monumenta testantur, & ipsa etiam fatetur Italia, omnium illorum qui tum quidem loqui latine conarentur, eloquentissimus: Lazarus Bayfius, duobus, de re Nauali, & vestiaria libris laudem ille quidem immortalem assecutus: Franciscus Vatablus, in Hebraicis ita versatus, vt vel ipsas Musas hebraice docere potuisse existimetur: Iacobus Tusanus, in Græcis prouectus eo, vt se-

dum Budæum, quem vnum doctiſſimi quique extra cõmunem aleam ingeniorum poſitum eſſe voluerũt, inuentus ſit nemo, qui illi prĩcipatũ earum literarum auferre potuerit: Germanus Brixius, orationis vtriuſque facultate promptiſſimus, expeditiſſimuſq; : Guilielmus Bellaius Langeius, qui primus apud Gallos cum Marte Palladem coniunxit: Petrus Bunellus, exiſtimatione magis, q̃ ſcriptis quę nulla (opinor) reliquit, pręter fortaſſe quaſdam Epiſtolas exaratas elegantiſſime, quæ tamẽ nondum prodierunt, clarus: Ioannes Pinus, pręter optimarum artium quibus tinctus fuit, cognitionem ſingularem, eloquẽtiæ nomine eo progreſſus etiam, vt inter eos qui ſtudio maximo ſunt vnum Ciceronem imitati, locũ certe non poſtremum obtineat: Stephanus Doletus, qui ſi linguæ moderationem adhibuiſſet, eſſeq; q̃ videri maluiſſet, perfeciſſet iudicio meo vt quod conſectabatur, aliquãdo tandẽ aſſecutus eſſe fuiſſet exiſtimatus. Ex fœminis vna Margareta, Nauarrę Regina cæterarum in hoc negotio culpam facile præſtiterit: chriſtiana plane mulier, & (quod rarius in illũ Sexũ cadat) politioribus Diſciplinis ſatis etiam liberaliter inſtituta: quæ Fidelium odio, quorum partes ſemper aduer

ſus

ſus fermentum Phariſæorum diuino conſilio potius, q̃ humana mente ſuſtinuit, nihil morata popularem inuidiam triumphauit victrix ex inimicorũ dolore. Hactenus de Gallis. In Anglia vero Reginaldus Polus, ſi noluiſſet patrię neceſſitudini, et pietati Cardinalatum anteferre: Thomas Linacer, ingenio acuto, iudicio limato, eruditione tam multiplici, ac prope in infinitũ varia, paucos vt habeamus, quos iuſtius veteribus Scriptoribus opponere poſſimus: Cuthbertus Tonſtallus, vir quantum ex ſcriptis aliorũ iudicare licet, vtraq; literatura non cõtemnendus: Thomas Morus, cuius ingenium quale fuerit, q̃ bonum, q̃ elegans, q̃ facetum, q̃ feſtiuum, q̃ popular, q̃ excultum ſœliciter omnibus artibus ad omnem humanitatem pertinẽtibus, Vtopia quidem, et tam multa ab eo de Græco in latinum conuerſa declarant: Ioannes Coletus, eruditus ipſe Eraſmi prædicatione, ſed illius amicus: Andręas Ammonius, Guilielmus Montioius, & Pacæus, qui omnes ita ſe literis abdiderunt, vt fidem eruditionis ſuæ grauiſſimorum virorum teſtimonio comprobatam, ſententijs omniũ abunde confirmatam, atq; conſtabilitam toti poſteritati feciſſe videantur. Permulti fuerũt alij cum

in Anglia, tũ in Gallia, qui in hũc numerũ adſcri bi potuerũt, ſed ij partĩ mea memoria dilabũtur, partim huius ſunt generis, vt omniũ ſingulatim nomina recitari neceſſe non ſit: qui vniuerſi ſingulari quodam hac in re fato fuiſſe videri poſſũt, vt in eorum Principum ætatem incurrerent, de quibus eſt apud Platonem, fore eas beatas Reſpublicas, in quibus hoĩnes ſtudioſiſſimi, ſapientiſſimiq; regnarent. Quod eo quidem ſpectat, vt intelligamus ante omnia quid ſtatuere de reliquo tempore, atque hoc noſtro nos oporteat, pacato illo vt nunc eſt, & (vt ita loquamur) æquabili lenitate tacite prætereunte: quum dubio profecto, turbulentoq; tam egregia liberalium artiũ iacta fundamenta eſſe videamus: deinde quo animo omnes eſſe, quantumq; de Filiorum indole ſpondere Reipublicæ poſſimus, quos ambos ingenio, prudentiaque floreſcentes quotidie magis, adeo liberaliter Parentum hac in re naturam exprimere, atq; oſtentare animaduertimus, vt alter affectum paternum, atque ſtudium in omnes doctos libenter retineat, doctiſſimorum ipſe hominum comitatu ſeptus ſemper: alter a pueris ita ſit initiatus literis, adoleſcente poſtea ætate ſic in eis educatus, ijs ſemper vſus Præceptoribus, vt ſi Deus

illum

immortalis Populo suo longæuum præstiterit, non modo quēquam eorum, quos hodie passim existimationē singularem Disciplinarum nomine colligere cernimus, sed ne Doctores quidem suos, rerum alioqui cognitione, varietateq; Linguarum excellentissimos, ei putemus anteponi oportere. Quamobrem si Pax, si locus, si tempus, si Principum vita nostrorū, si mores, si actiones ad nostrum arbitrium accommodatæ plane iam esse videntur: eoq; modo constituta sunt omnia, vt neq; constantiam in fortuna, neque commoditatem in tempore, neque facultatem in rebus, neq; studium Pacis, atq; quietis in Principibus, si nostra ipsi bona noscimus, requirere debeamus, nullum aureum seculum hoc nostro seculo fœlicius vnquam extitisse concludamus: existimemusq; literarum, eiuscemodi, literatorumq; fore conditionem, vt quanq̄ regnarunt ijs regnantibus de quibus superius abunde satis egimus, Heroibus, tamen fato quodam in hanc potissimum ætatem incurrisse, existentibusque duobus hominum, virtutum, Disciplinarū Principibus, atq; luminibus, ipsi quoque tandem existere voluisse videantur. Quid enim Danezium commemorem, in quo nihil omnino, præter vtili-

tatis publicæ rationem, & oīs eruditionis quam adhuc comprimere, q̄ ſcriptis proferre maluit, monimenta deſyderamus? Quid Ioachimum Perionium, qui vnus eſt dicendo conſecutus, nomen vt ſuum Alpes tranſcenderit, peruaſeritq; in Italiam, atque ibi iandudum virorum ornatiſſimorum approbatione glorioſiſſimū eſſe cœperit: fueritque futurum etiam in Germania, ſi Chriſtianus ipſe cum ſit, Benedictinus non appellaretur? Quid Petrum Caſtellanum, exiſtimatū illum quidem eruditiſſimum, ſed qui aulicæ vitæ delectatione plus ſatis aulicus effectus quibuſdam eſſe videatur? Quid Orontiū Einæum Mathematicarum apodixeon Regiū Profeſſorem, in quibus ita verſatur, vt etſi non defuerunt qui partim hominem obliq; perſtrinxerint, partim non diſſimulanter etiam infeſtarint, perfregerit tamen, labefactaritque validus pugil inimicorum conſpirationem, non ſecus atque ſaxum incumbentes ſolet fluctus: neq; quiſquam inuentus adhuc ſit, qui ipſum aperto Marte aggredi cupiens, otium habuerit in aciem, dimicationemque veniendi? Quid Iacobū Syluium, ex cuius ſchola nihilo pauciores (opinor) medici nobiliſſimi, q̄ ex equo illo Troiano Heroes auguſtiſſimi prodierunt?

Quid

Quid Arnoldum Ferronum, eũ qui eſt hiſtoriam Pauli AEmilij de rebus geſtis Gallorum elegantiſſime perſecutus? Quid Adrianũ Tornebum, hominem certe ſimplicem, neq; ſibi magnopere placentem, ſed quo vix quiſquam ſit apud eam Gentem in omni fere genere Diſciplinarum abſolutior? Quid Couſagium, grauiſſimum virum, prudentiſſimum hominem: eum denique, qui ſi calamo manũ admoueat, ipſe ſe pulcherrime ſit ab obliuionis iniuria, ſilentioque vindicaturus? Quid ipſum Claudium de Laual, Galliarum nũc Regis in Anglia Legatum, quem quidem, ſi domi foriſue gerendis in rebus prudentiam, ac ſcientiam ſpectemus, alterum huius ſeculi Langeium, hoc eſt, alumnum Palladis, atque Martis eſſe dicere poſſumus? Quid Stracelium, vtriuſq; Linguę cognitione, facultateq; peritiſſimũ? Quid Petrum Gallandium, cuius Oratio poſtrema quãtum laceſſitus in dicendo poſſit, et ipſa publica profitendi ratio quantum valeat in iudicando, cumulatiſſime teſtatur? Quid Anthoniũ Goueanum, poetam optimum, philoſophũ maximum, oratorem inſignem: iureconſultum eum deniq;, qui tantiſper Accurſij gloſſemata, Bartholi, Baldique ſinuoſa volumina conſectetur, quatenus adſtipu-

adſtipulantur Legibus Iureconſultorum, humanique iudicij ratione probari queunt: & quod in eo minime eſt prætermittendum, eam etiam præ ſe ferens humanitatem, et modeſtiam, vt hominem plane Gallum dicas, Luſitanum eſſe nunq̃ putes? Quid Petrum Ramum, qui in ancipiti cauſſa, ſi Ciceronem, Quintilianumq; miſſos facere maluiſſet, inuidioſum quidem ille certamen, ſed non inutile magnifice ſuſtinuit? Quid Theodoricum Bezam, qui ſuorũ Epigrammatũ editione volitat viuus per ora virum, cuiq; (ſi Deo placet) cõtigit otiũ cũ dignitate, ſed id otiũ, quod eſt otiũ vere nominandum? Quid Martinum Brionæum, qui ſi tam eſſet diues, q̃ eſt Poeta bonus, iampridem (credo) vel Menſarios ipſos verſuram facere docuiſſet: tametſi ne opes quidem tanto Vati deeſſe poſſunt, Plutonem ex vmbris euocaturo carminibus, ſi paulum modo Fortuna defecerit? Quid Arnaldum Ferrerium, quid Ioannem Coraſium, quorum hic propter ſingularem in vtroque Iure ſcientiam & memoriam, quod nemini ante ipſum Gallo contigiſſe fatendum eſt, euocatus eſt ſtipendijs ampliſſimis in Italiam: ille Iuris quoq; prudentiſſimus, in ſuprema Parlamenti Toloſani Curia Senator magna ſua glo-

ria,

tia, ſplendoreq; verſatur? Quid Ioannem Molnerium Planellæum, quem qui nouerit, inter præcipuos adſcribendum eſſe facile putarit? Quid Ioannem Gardeum Tholoſanum, qui primus literas in ſuã familiam inducẽs, ſpem quandam de indole virtutis, & eruditionis ſuæ non cõtemnendam Reipublicę pollicetur? Sed quid me tandem ipſe conficio commemoratione omnium, quos ſingulos in omni Diſciplinarum genere peritiſſimos vnica Gallica Natio proferre permultos poteſt? Idem omnino de Anglica hoc tempore Natione, iudicio meo, cũ omnibus facultatibus ad humanæ vitæ cultum pertinentibus abundantiſſima, tum eruditiſſimis hominibus, excellentiſſimis ingenijs florentiſſima, hiſq; nominibus præcipuis Europæ partibus adſcripta, viciſſim eſt exiſtimandum. Nam vt rerum copiam omittamus, & eorum nomina perſequamur, qui ſunt literarum ornamentis illuſtriores q̃ ut venturi ſint vnquam in obliuionem, quid de Ioanne Chæco, nondum tamen a me viſo, epiſtola tantum quadam, & Elegis aliquot verſibus luctuoſum Martini Buceri funus religioſe deplorantibus tum quidem mihi cognito dicemus: qui eo rerum humanarum, diuinarumq; cognitione

peruenisse censetur, amplius vt quo ꝓgredi possit non habeat, nisi forte reficiendi animi, aut temporis traducēdi caussa libros eosdem sæpius euoluat, quos antea magna cura didicerit: vel nisi Eduardi factum ad omnia ingeniū, & iudicium nouo subinde genere præceptorū quotidie limet, & poliat: quod ipsum eo successu, facultateque perficit, vt Angliæ toti representaturus sit aliquādo philosophum, quæ se tantummodo Regem habere existimabat? Quid de Thoma Goodrico, Episcopo Eliensi, Angliæque Cancellario, cuius eruditioni, virtutique tantum est a Rege tributum, vt vnus ex Episcopis Angliæ totius deligendus esse sit existimatus, qui superioribus hisce mensibus in Galliam cum imperio ꝓficisceretur? Quid de Thoma Cranmero, Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primate, cuius eruditio quoque, monimentorum suorum editione paulatim illustrata, citius euerterit alienam commendationem, q̄ aut iuuerit, aut ipsa sese plus inde quicquam posse promoueri ostenderit? Quid de Ioanne Hoppero, Gloceſtriæ Episcopo, quem impietatis cuiusdam nomine suspectum aliquando, & ob id ex vinculis causſam dicentem, ea nuper Fidei suæ testimonia dedisse cognouimus, vt

tandem

tandem reuersus ad Episcopatum, inaudito genere victoriæ integrum se Reipublicæ præstiterit: & quam antea doctrinę magnitudine nominis celebritatem, existimationemque collegerat, ornatissime conseruarit? Quid de eo, qui nunc est apud Cæsarem Legatus, Richardo Morisino, quem & doctissimum, & quod est insolentius, eloquentissimum etiam dicunt esse? Quid de D. Pageto, quem ipsum Legatione quoque perfunctum esse accepimus: doctum, disertumque cognouimus, hominem integerrimum, fidelissimumque Reipublicæ semper fuisse, neque tam hoc tempore vlla de re periclitari, q̃ ipsius probari fortitudinem, atq; constantiam arbitramur? Quid de D. Russello, pio plane, Christianoq; viro: a literis humanioribus non abhorrente: literatos omnes, præsertim ærumnosos ac miseros, quiq; Euangelij gratia profugi in hunc locum, tanquam in portum, se receperunt, omnibus suis officiis, beneficijsque complectente: in vna virtute & innocẽtia præsidium omne vitæ suæ, dignitatemque constituente: eo viro denique, qui diuina morum conformatione, bonitate naturæ singulari a quibusdam exæquari fortasse, a nemine omnino vinci possit? Quid de Guilielmo Ce-

cilæo, homine in magna rerum varietate versato: tantum fere persequendis optimis authoribus, Geographicis potissimum, quibus (vt audio) magnopere delectatur, operę quotidie, & diligentię tribuente, quantum ab illis reconditioribus Regiarum Sanctionum notis ei supereſt otij, ac temporis: suamque familiam ita demum constitutam habente, vt neminem esse propemodum domi suæ patiatur, qui non odorem aliquem literarũ prę se tulerit, ac si sit opus, non efflarit etiam: ne vxorem quidem, lectissimam, eruditamq; fœminam, & (quod magis miror) tinctam etiam Græcis literis: vt locus ille plane gymnasiũ quoddam hominum philosophantium, non ornatissimi, & ciuilis viri domiciliũ esse videatur? Quid de D. de Arsis, amplissimo, clarissimoque viro, Equestris Ordinis insignibus Anglicæ Nobilitati spectatissimo, Populo cõmendatissimo: sed qui præter illam amplitudinem, atque dignitatem, literarum etiam cognitionẽ quandam, erga literatos amorem, fidem, liberalitatem, pietatem, humanitatem, modestiam, æquabilitatem animi maximam afferat? Quid de duobus Suffolcijs Fratribus, ereptis quidem illis nobis æstate superiore, sed qui si mansissent in vita, non modo familiam

miliã qua nati fuerant illuſtriſſima, verumetiam Britanniam vniuerſam, & Curiã tam egregijs Principibus ornari cœptam: commendatione literarum, Scripturarumque, in quas fœliciter inſinuati eſſe dicebantur, quibuſdam veluti gradibus erant euecturi, poſituriq; in faſtigio glioriæ ſuæ? maxime vero tales cum eſſent, quales a Gualtero Haddono, & Thoma VVilſono non indoctis, neque indiſertis hoīnibus epiſtolis duabus, & aliquot epitaphijs in eam rem compoſitis, prolatiſq; deſcribuntur: hoc eſt, qui neque ſplendore domeſtico deduci, neque voluptatum illecebris auocati, neque rei magnitudine, ac difficultate a libris deterreri poſſent? Quid de D. de Aſtynx, Comitis Hunctingthonienſis, viri clariſſimi, præſtantiſſimique filio, qui ſi quem Ollyncedo præceptore, docto iuuene, & honeſto cœpit, curſum conficiet, nihilo futurus eſt generis amplitudine, q̄ literarũ authoritate magnificentior? Quid de Nicolao Vdallo, cuius mores, literæ, virtutes ita palam poſitæ, conſpicuæque ſunt, eas vt verbis exornare conari, hominis ſit plus ſatis otioſi, ne dicam inepti, atque rem luce clariorem veriſimilibus argumentis probabilem efficere moleſte contendentis? Quid de Ioanne Rogerio, diuini Ver-

bi alias in Germania, iam vero Londini Concio-
natore: in quibus locis duobus ita vixit ſemper,
vt in Germania quidem iucundiſſimum nominis
ſui deſyderium facile reliquerit: Londini vero cō-
ſecutus ſit, vt præter religionem, & pietatem, quę
ſunt in homine duæ virtutes omnium vna voce
maximæ, atque clariſſimæ, pręſtare etiam exiſti-
metur alijs omnibus artibus politiorem humani-
tatem non excludentibus? Quod ſi mulieres
quoque in huius ſunt laudis ſocietatem conuocā-
dę, quid (rogo) de duabus Principibus Regię Ma-
ieſtatis Sororibus, Maria, Helizabethaque dice-
mus, quę ambę finem hunc ſibi propoſuiſſe vi-
dentur, vt cum viris, quos amplitudine, magni-
tudine, generis ſplendore, nobilitateque ſuperāt,
de literarum principatu certantes, de illis etiam
quaſi a ſe ſuperatis, atq; victis triumphum agāt,
deportentque? perficiunt quidem certe, vt quē-
admodum de Cornelia Gracchorum olim matre
ferunt, ita partiri ſolitam fuiſſe tempus, vt quod
eſſet a domeſticis occupationibus vacuum, id
totum ſtudio tribueret eloquentiæ, eamq; ratio-
nem, vſurpatam præſertim a muliere, non parū
honorificam, & glorioſam Populo Romano fu-
iſſe: ſic hæ tam eleganter, appoſiteq; nouerint

occupatio-

occupationibus imperare, virtutemq; literarum ad se vnas tanta contentione animi, fœlicitateq; reuocare, ac traducere, vt quanquam earum interire commemoratio nunquam potest, q; talium Heroinarum vita, & memoria debita naturaliter immortalitati sit: tamen nescio quid maius, quid excellentius hominum opinione de sese posteritati relicturæ sint, huiusque totius æui memoriã monimentis amplissimis, grauissimisque testatã, nobis adhuc superstitibus glorioſissimam, atque triumphantem effecturæ? Quid de tam multis (ne vltra fines institutæ disputationis hæc excurrere videatur Oratio) qui partim doctissimi profecto, bellorum horroribus attoniti vixdum e tenebris in lucem euolauerunt: partim compositis rebus, & ad Pacis conditiones adductis temporibus in hominũ conspectum exituri sunt? Equidem si tum cum nondum priuatorum hominum studiis quietem, vniuersæ Reipublicæ salutem impetrare potuissemus, tanta diuinorum ingeniorũ omnique doctrinæ genere subactorum multitudo fuit, quantam nos esse breuiter ostendimus, & latiore, si citra molestiam vestram effici potuisset, ostentatione verborum expositurí eramus, nunc si quid humani iudicij ratio, communisque

coniectura

coniectura valet, non Græcorum, neq; ſane Romanorum ætatem, qua conſtat omnes humaniores, grauioreſque diſciplinas ad extremũ ſuarum virtutum, facultatumq; peruenisſe, Philoſophorum excellentiſſimorum, ac Oratorum eloquentiſſimorum copia florentiorem, atque vberiorem eſſe potuiſſe, q̃ hæc noſtra futura eſt ętas, aſſeuerare poſſumus. Atque vtinam quemadmodum Regi Galliarum cum Angliæ Rege conuenit, eodem modo cum Cæſare conueniat, quæque eſt huius vtriuſque Regni limitibus intercluſa pax, perrumpat ad eos, quorum nihilominus intereſt Principem ſuum eadem cum alienis Principibus animi modeſtia, probitateque certare, q̃ qua hi viciſſim inter ſe facere conſueuerunt, atq; ita viuere, vt omnia commodi publici cauſſa ſuſcepta, & ad hunc potiſſimum ſcopum collimata eſſe videantur: cum q; eneruari Populi facultates, eorum maxime hominum affectibus, quibus vtilitas multorum priuatorum rebus omnibus antiquior eſſe deberet, impium a quibuſdam exiſtimetur: tum quod indignum ſit inter Chriſtianos, quorum erant partes cæteris omnibus tanquam quaſdam accenſas faces virtute prælucere, tantũ in dies controuerſiarum naſci, tantum exhiberi moleſtiarũ,

moleſtiarũ, quantis nec ipſi fortaſſe pares eſſe, poſſint, nec ſi poſſint etiam, qua ſunt animorum inductione, opinor, velint. Henrico quidem cum primum Regno inaugurari cæpiſſet, qua illum æquabilitate, dignitate, maieſtate prædítum eſſe vidimus, nihil vnquam cum Marte negotij futurum credidimus. Poſtea vero q̃, Anglis militibus Bononiam adhuc tenentibus, educi exercitum in expeditionem animaduertimus, nihilo propterea magis animo commoti fuimus: quę erant amiſſa recipere illum cupere, eamque profectionem vtriuſque regni commodo ceſſuram, optatumque aliquem ſecum allaturam finem cogitare cœpimus. Tandem autem coorta noua tempeſtate quid eſt quod de regno Galliarum ſtatuere debeamus, niſi illud proprio quodam hac in re fato eſſe, vt quo eſt amicitiarum inſtituendarum auidius, eo magis a Cæſarianis noui ſemper aliquid afferẽtibus, bellumque (vt videtur) ex bello ſerentibus, atque prouocantibus infeſtetur? Iniecerat nobis ſpem aliquam recens ille Pricipis Romani Pontificatus, fore vt ipſius opera, & induſtria non ea tantum quæ pridem excitata fuerant, cõciderent, verum etiam quę videbantur excitari poſſe prohiberentur: ſed idem in illo plane probauimus, quod in

cæteris Romanis Pontificibus ex omni fere memoria ætatum ac temporũ experti fuimus: quorum authoritas nescio quomodo valuisse plus semper ad cõmittendos inter se Principes, miscendaque passim incendia, q̃ ad restinguenda bellorum existimatur. Hoc scilicet est fatum Romanorum Pontificum, hic ardor, hæc religio: & tamen nondum quisquam est, qui aperiat oculos. Si nihil eos vastitas multarum Prouinciarũ, reiq; magnitudo cõmouebat, flectere saltem debebat ingraueſcens quotidie Reipublicę Christianę perturbatio, quæ in eum deducta nunc est locum, ipsam vt Mahumetæ ludibrio, quemadmodum solebant, habere desierint, & nunc (si Deo placet) commiseratione persequantur. Quos tumultus aliquando Patrum nostrorum temporibus in Europa concitarit Pontifex Iulius, meminerit Gallia præclare, quam ille prius pecunijs exinanitam, deinde diris defixam, subiectamque odio Principum externorum, est ad extremum maxima belli contentione cotumelioſiſſime persequutus. Successit iam ei Iulius, de quo non est verendum ne quam alter imaginem inchoarat, hic partibus omnibus alea iacta conficiat: cum huiusce rei satis illustria fundamenta posita videamus: nisi q̃

quibus

quibus rebus ille faces prę ferebat ad impietatem, ijsdem hic se non interpretē, sed ptincipem omnino constituit: verisimile vt sit, Sanctissimum illum Patrem perfractis verecundiæ, diuinique ois & humani iuris repagulis ad opprimendas oues quarum se toties pastorem esse profitetur, vitasq; hominum labefactandas incumbere. Eius itaq; beneficio conflígunt illustrissimi, potentissimiq; Reges, ac Monarchæ: aut si bellū nondum (vt putatur) indictum est, instat certe, futurumque est nisi Dominus intercedit, vt qui rem paulatim cuniculis expediunt, cogantur aliquando aperto marte pugnare: quorum vtercunque vicerit, videor mihi videre castra Mahumetarum in Italię faucibus, Germaniæque collocata, cōmunemq; omnium hostem Solymanum triumphantem. Verum, (vt audio) mutata velificatione, versoque ad pacis simulationem animo, compositionem adornat quandam inter eos, quos ipse prius inuicem exacerbarit, cōmiseritque: afflatūq; est hic nescio quid præterea rumoris, expeditum ab illo esse Cardinalem Sancti Georgij Legatum in Galliam, eo consilio (dicūt) vt omnia persequatur, quo Regem auersum, vt fingit, a religione, in officio pietatis, sanctæque Romanæ, hoc est Apostolicæ

Sedis obſeruatione, poteſtateque retineat, pecuniaſque ſi poteſt, exprimat, atq; conficiat: quorum alterũ in dubitationem adducere Iulius nõ debuit, explorata toties alijs ante ipſum Pontificibus Regum Gallorum humanitate, ac pietate: de altero ſic (vt intelligo) Legati Reuerentiæ prouiſum eſt, vt ſi feriari velit in Gallia, liceat ei medio, ſi videatur, foro volitare: pecuniarum autem ſacris quorum gratia veniſſe exiſtimetur, cuiuſmodi ſolet eſſe Sedis ipſius Apoſtolicæ Religio, grauiſſimis ei verbis interdictum ſit: Regem eni ſurrogatum aliquem, q̃ Legatum Quæſtorem habere malle. Quod Pontificis officium, Deus immortalis, quo ſtudium quis non videt ex eodem iniquitatis, ac ſceleris, ex quo omnia reliqua prodierunt, quæ ſunt ad communem totius Europæ tranquillitatem conturbandam inuecta a Sanctiſſimo Patre, ex eodem, inquã, quis non videt ſingulare iſtud Romani Pontificis officium fonte, atque capite deſcendere? Sed hæc, quia nec noua ſunt, nempe illi cum omnibus ijs qui hominem ætate præceſſerunt, Romanis Genijs, beati ſcilicet Petri ſucceſſoribus ſemper fere communia: & nũc demum præclaris eius facinoribus ita probata, vt quo ipſius non tantum actiones,

verumeti-

verumetiam motus omnes, molitioneſque pertineant, ſi communi modo ſenſu pręditi ſumus, ignorare nullo pacto poſſimus: quamque de tanto, ac tam egregio Paſtore ſemper opinionem habuimus, nunc in illa confirmati, nunquam depoſituri eſſe videamur, æquo animo prætermittimus. Tantum exiſtimamus, ærumnoſam magis eſſe non poſſe q̃ eſt, eorum conditionem, quibus nondum contigit animo tam excelſo, robuſtoque eſſe, vt vincula perfregerint, quibus obligati, obſcurique, veram lucem aſpicere nequeunt: fœliciſſimam eorum, qui tandem aliquando iugum illud horrẽdum, ac miſerabile ſeruitutis executere, libertatem quam habent a natura, retinere, mores et vitam ſuam præſtantiſſimis, ac fideliſſimis huiuſcemodi rerum æſtimatoribus approbare potuerunt. Et quanquam Regis Angliæ ſuperioris auſpicio non tam inſolens inuſitataque, q̃ inuidioſa quædam, & acerba Romanis fortaſſe Principibus, atque Pontificibus interpoſita Religio, populo illi ſubiecta fuiſſe videri poteſt, eo q̃ omnes naturaliter ereptam e manibus aliquã prædam ægre, moleſteque feramus: factumque aliquod egregium, atque nouum, maximis præſertim, & grauiſſimis in rebus, Maiorum autho-

ritatem mediocriter eleuantibus facile popularis inuidia sequatur : eius tamen beneficio Regis Eduardo filio tam est magnifice cautum, Populo tam consultum eleganter, vt ille nunquam in maiore se rerum omnium splendore meminerit esse versatum : hic reiecto Romani Numinis imperio, pontificatuque, pacem, tranquillitatem, fœlicitatem, æternam iam (vt sibi pollicetur) vitam, summa breuiter omnia se esse consecutum putet. Habebat enim Henricus octauus, dum maneret in vita, inter reliquas permultas animi dotes, virtutesque singulares, & hoc quoq; quod amore maximo, beneuolentiaque, & præterea liberalitate plane regia doctissimos homines complectebatur : præsertim eos, qui de ritu Papistico, veriscq; cæremonijs Ecclesiæ, & Euangelica Dei colendi ratione constituere possent. Hunc est eius filius Eduardus ipse consecutus : Patris hoc in genere sic imitatus naturam, vt & literatorũ hominũ consuetudinem omnibus alijs rebus anteponat, & literatus ipse nemini fere quicquam concedat earum omnium artium scientia, sine quibus haud scio an honeste possit satis vllius Principis amplitudo, magnitudoque consistere. Verum hac quidem vna de re disputabitur, opinor, alio loco,

quod

quod ipsum propediē, ni fallor, oratione perpetua futurum est: literatos vero quo amore prosequatur, esse testimonio possūt tam multi quorum est a nobis superius honorifica facta mentio: & præter eos Bernardinus Occhinus, Petrusque Martyr, illustres ipsi adeo monimentis suis, vt si laudes quas ipsi deprecantur, conemur attingere, nihilo plus lucis eorum existimationi hæc nostra videatur allatura oratio: deinde Martinus Bucerus, quem æstate superiore defunctum vita Suffolcij illi duo fratres Epitaphijs primū duobus, deinde dissolutis corporibus eadem via omnino, qua ille sibi decedendum existimarat, insecuti sūt. ad extremum quoque Ioannes Alasco, vir profecto præter absolutam omnium artium humanarum, disciplinarumque cognitionem ita Theologus, vt illum habens Anglia, non sit vehementer, quamobrem Buceri fato, desyderioque commoueatur: ita pius, humanus, popularis, vt meminisse non possim quicquam me vnquam in vita vidisse perfectius. Atque hi quidem stipendijs publice constitutis in Anglia commorantur. Adsunt præterea Franciscus Perussellus, ex quo nihildum pręter Summam quandam Christianę Religionis exprimere potuimus; sed qui si calamum

mum ſumat ad ſcribendum, quantum eloquẽtia valeat, quantum valeat eruditione, poſteritati locupletiſſime teſtari poſſit: et Richardus Vauuilleus, ingenio vir pręſtãti, iudicio prudenti, Scripturarum cognitione tanta, quantam in eo requirere debeamus, cui ſingulis quibuſque duobus diebus, hebdomadis interiectis in frequenti non indoctorum hominum conſeſſu concionari publice neceſſe ſit: infenſi ambo fortaſſe Sorboniſtarum ciffis, Monachorumque contubernijs, quod illorum relicto ſodalitio ad meliora diuertiſſe cenſeantur, ſed pietatis, eruditioniſque nomine doctiſſimorum hominum approbatione commendatiſſimi. Hæc ſunt igitur quæ Regis Angliæ defectionem a Pontificatu Romano ad vnius Ieſu Chriſti meditationem, obſeruationemque ſunt haud ita poſtea longo interuallo conſecuta: Regiæ videlicet ſplendor illuſtrior, amplitudoque Maieſtatis: Populi tranquillitas, indubitataque ſpes concepta de ſua ſalute: & Theologorum ornatiſſimorum, eruditiſſimorumq; in hunc quaſi portum, profugiumque Religionis ex omnibus vndique regionibus fieri ſolita concurſatio. Hinc neceſſitudo inter vtrunque conſtituta Principem, Angliæ videlicet, & Galliarum,

quæ

quæ semel a Iulio tentata perturbari, tenet motum tamen, atque cursum suum, tanta est vtriusque virtus, constantia, veritas: adeo vt si Dominus est tantæ cõciliationis effector existimandus, nisi nobis ipsi casu aliquo defuturi sumus, animum inducere debeamus, hanc ipsam consecratam iam immortalitati, Pontificum insidijs imposterum obstructam semper, aduersus inimicorum insolentiam perpetuo munitam, a temporum iniurijs, periculisque liberam, atque tutam fore. Omnia tenemus: affinitatem expectamus: hac opinionem falli posse nostram non putamus: vtrique meliorem euenire posse cõditionem non existimamus: quemadmodũ animis iuncti dicuntur, ita Religionis similitudine quamprimum vt coniungantur optamus: ad maiora non adspiramus: vna Principum inter se concordia, amicitia, beneuolentia contenti sumus, eaque Reipublicæ salutem, incolumitatemq; maxime contineri ducimus. Quamobrem si affectis Principum animis affectas quoque partes omnes esse Reipublicæ necesse sit, q̃ capite non bene constituto, membra quoque reliqua corporis necesse quodammodo sit esse in dolore: reuocatis autem a cõtentione ad compositionem, atque quietem,

ſtatus ipſe Reipublicæ releuatus infinitis oneribus, recreatuſque videatur: gratulari tantæ Pacis authoribus, atque hoc tempore natos omnes eſſe nos, quo liceat vnicuique fœlicem eſſe ſe dicere, gaudere debemus. reliqua vero quæ ſunt in coniectura poſita, quæque paſſim hominum opinionibus vltro citroque voluuntur, de quibus tamen non aliter pronunciare poſſumus, q̃ de ijs quæ præter communem expectationem acciderunt, quoniam eius ſunt generis, vt eorum quæ iam anteceſſerunt, neceſſario quodammodo conſequentia dicantur, ſi quemadmodum auſpicati ſunt ij quorum res potiſſimum agitur, vniuerſiq; nos fore confidimus: reliqua, inquam, illa ſi conficiuntur, ad extremunque deducuntur, floremus, triumphamus, omnia conſecuti ſumus.

✲

DIXI.